



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria dissolvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

patum à Deo est productum per veram, & realem operationem, siue sit illa emanatio, siue rigorosa actio: sed illud quod habet veram existentiam realem, & non est Deus, est participatum à Deo: ergo est productum per veram actionem, quia participatio per quam habent esse est dependentia vera & realis: sed dependentia vera, & realis in genere causae efficientis est vera, & realis productio: ergo. Minor illa conceditur ab aduersariis, nam Agidius sic ait his verbis, cuius entis, licet sit vera existentia, est tamen satis debilis.

63 Specialiter de esse cognito probatur, scilicet de denominatione extrinseca à forma reali, quia illud quod identificatur cum reali non est ens rationis: sed denominatio extrinseca in abstracto, siue actiua, siue passiva identificatur cum cognitione reali extrinsece respicienti obiectum, ideoque constituit cognitionem, quae realis est: ergo est realis denominatio. Maior est evidens. Minor sic probatur, quia illa denominatio est formalitas alicuius entis, sed non entis intrinsece existentis in denominato: ergo extrinsece respectu illius, sed intellectus est extrinsece, & non intrinsece in obiecto: ergo illa denominatio est formalitas intellectus, à nullo enim potest constitui intellectus, & cognitum nisi à cognitione, & ab intellectu: sicut album ab albedine, & amatum ab amore, nullum enim aliud formale praedicatum potest constituere obiectum cognitum, nisi cognitio: nam sicut non potest dari Petrus cognoscens, quin cognoscat obiectum, sic non potest dari obiectum cognitum, nisi à cognoscente illud, ita ut per eandem formalitatem, ut si praemonstrauimus, constituatur cognoscens, & obiectum cognitum: quia quando aliqua ratio formalis est adaequatae si efficiens ad constituendum actiuium respectu alicuius passivi, etiam passivum ut tale constituit & non per aliam constituitur, ut vnio vnit se, & constituit vnitum, ut eadem albedo, quasi actus est constituit album, & ab eadem numero constituitur album, & anima rationalis constituit hominem animatum, quasi actus est, vel materiam primam, & ab eadem numero constituitur natura, & homo & non ab alia: ergo si intellectus constituit quasi actiue intelligens eadem passiuè constituit intellectum sine alio constituyente: sed formalitas intellectus nullo modo est rationis, sed realis: ergo denominatio extrinseca intellectui quae identificatur cum formalitate intellectus, erit realis, & non rationis, quia omne quod est debet esse cum suo formali constitutiuo intrinsece in aliquo, nam esse extrinsece respectu omnium est impossibile: vnde Deus, si iniuratur, est per iniuriam peccati commissi, & intrinsece existentis in peccatore, & si creatura amatur est amata à Deo, per amorem in Deo, & extrinsece in creatura: ergo similiter obiectum erit cognitum per cognitionem quae extrinsece est in illo, & intrinsece in cognoscente.

64 Secunda suppositio falsa probatur, esse Dei cognoscitur, & est obiectum cognitum, & actu cognoscitur à creatura, cum ante cognosceretur per totam aeternitatem, & ab aeterno: sed ex eo quod Deus cognoscatur, sequitur in obiecto relatio cogniti. Minor sic probatur, quia omnis relatio distinguitur à re cuius est relatio, & relatio quae sequitur ex vi cognitionis creatae est creata: sed in Deo ex tempore non potest esse in-

trinsece aliqua relatio creata ex vi actionis creatae: ergo ex eo quod Deus cognoscatur &c. Hae minor si probatur, quia primo mutaretur Deus cum de nouo reciperet aliquid intrinsecum, quod non habebat distinctum à se. Deinde aliquid esset in Deo intrinsece, quod non esset Deus, nam esset relatio creata, quae non est Deus. Sed, fide docente, omne quod in Deo est, Deus est: ergo non datur &c.

Nec obstat dicere ideo non resultare in Deo, quia incapax est.

Contra, quia Deus est actu perfecte cognitus sine relatione, imo non est necessaria talis relatio: ergo & creatura est actu cognita sine relatione, nam eadem formalitate cognoscitur Deus à se & creatura à Deo, & Deus eadem cognitione, vel eodem modo extrinsece constituitur à cognitione creata, quam creatura: ergo. Item quia obiectum cognitum non habet virtutem producendi in se illam relationem, nam antequam cognoscatur non habet talem virtutem, ut ipsi aduersarij fatentur, & postquam cognoscitur solum habet denominationem extrinsecam cogniti, quae non est virtus producendi, ut de se patet. Item quia vel illa relatio, quae resultaret in Deo ex vi suae cognitionis esset ad se, vel ad creaturas, si ad se est falsum, quia in Deo non datur relatio alia praeter personales. Deinde, quia eiusdem ad se ipsum non datur relatio, nec ad creaturas, quia ut in metaphysica dictum est, Deus non ordinatur ad creaturas. Nec obstat aie, se quod illae relationes sint rationis. Contra quia solum nomen est rationis, & entitates relationum sunt reales cum habeant sine fictione realitatem à parte rei, alias posset aliquis concedere peccatum in Deo sine fictione, & accidens albedinis sine fictione, & ut saluaret illud inconueniens vocaret illud peccatum rationis, & albedinem rationis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersariorum dissolvuntur.

Ad primum primae sententiae respondetur 66 negando maiorem. Ad probationem respondetur, Aristoteli ibi non dixisse esse entia rationis priuationes & negationes: sed esse quasi entia realia, quae quia imperfectissima sunt, non concipiuntur nisi ut entia positiua, in quo constituit formalitas entis rationis, ut supra explicatum manet; vnde ipsae priuationes si ut caecitiae sumantur, non sunt entia rationis: sed reales, quia ante omnem fictionem intellectus reperiuntur à parte rei, solum enim est ens rationis positivum illud, quod in eis concipitur, ac si esset, cum tamen non sit.

Item negatur quod cognitio directa alicuius rei ut in se est effectio entis rationis, ut iam supra satis probatum manet; reliqua autem illius argumenti non sunt contra nos.

Ad secundum argumentum respondetur negando quod entia rationis sint vera & positiua entia, nam Diuus Thomas ait, entia rationis non esse realitates: sed intentiones, id est non habere esse veram, & propriam entitatem, sed tantum confictam ab intentione intellectus; vnde si suppositum illius opinionis esset verum, illa entia esse vera entia, non esset contra nostram conclusionem.

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 73

nem, quia nos non negamus entia vera fieri à Deo, sed entia ficta, & apparentia.

69 Ad tertium respondetur negando maiorem; ad illud, quod ex Aristotele adducitur, negatur quod dixerit absolute Aristoteles, ens reale participari ab ente rationis, aut diuidi in ens rationis, & reale: sed dixit ens diuidi in ens reale, & rationis, hoc est secundum distributionem accommodatam, ita ut ab entibus realibus participetur ens reale ab ente rationis autem solum ens simile illi, quod ab ente reali participatur, non quod aliqua una, & eadem formalitas diuidatur in ens rationis, & reale: sed quod eodem nomine significetur ens verum, quod diuiditur in realia entia, & in entia rationis, cum hoc tamen discrimine, ut sub illo nomine æquiuocatio illorum entium, aut analogia metaphorica reperiatur, ut in ritu practica hominis, & quia ens quod diuiditur in entia rationis similitudinem habeat cum ente diuino à realibus, inde est quod dicatur ens diuidi in reale, & rationis.

70 Ad quartum concedo maiorem, nego minorem, ut supra satis demonstratum manet.

71 Ad argumentum secundæ sententiæ, & ad locum Diui Thomæ, respondetur verbis ipsius Angelici Doctoris explicantis suam mentem in corpore illius articuli, ubi sic ait. Vnde plures ideæ sunt in mente diuina, ut intellectus ab ipso, quod hoc modo potest videri, ipse enim essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est, potest autem cognosci, non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis, secundum aliquem modum similitudinis à creaturis, vnaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat diuinæ essentiae similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem à tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem, & ideam huius creaturæ, & similiter de aliis; & sic patet quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ. Sic Diuus Thomas, quæ verba explicans Caietanus in commentar. super hanc quaestionem, sic ait, vnde in corpore articuli auctor dixit, quod quia Deus perfectissimè intelligit essentiam suam, ideo intelligit eam ut tot modis imitabilem, hoc enim est constitui plures respectus ideales, intelligi- que plures ideæ, ut aliorum rationum sunt, & intelligere creaturas distincte in essentia diuina sibi obiecta, & hæc si bene contemplatus fueris obiectionem aliorum deridebis, sic Cardinalis Caietanus; itaque nihil aliud est in sententia D. Thomæ, ut explicat Caietanus causare respectus quibus multiplicatur ideæ, nisi constituere tales respectus, & nihil aliud est constitui tales respectus à Deo, ut hic auctor asserit, nisi intelligi plures ideæ, id est vnā essentiam, ut imitabilem à pluribus creaturis, & intelligere creaturas distincte in essentia diuina sibi obiecta, quæ participant illam essentiam multipliciter, & secundum diuersos modos essendi, & quia Deus eminentissimo quodam modo intelligit illam essentiam sine diuisione, & sine relatione non facit ens rationis, quia autem ita intelligit vnā essentiam, ut in tali cognitione æquiualeat pluribus, ideo dicitur causare respectus distinctionum, id est dare fundamentum ut causentur tales respectus; vnde fundamentaliter quasi causat, id

I. P. Tom. II.

est ansam tribuit ut noster intellectus causet, & quia quando nos concipimus diuinam essentiam causamus respectus, ideo nostro modo concipiendi causat, quia non concipimus ut in se est illam eminentissimam cognitionem, sicut etiam nostro modo intelligendi distinguitur essentia ab attributis, sed non vere, sed nō ita similiter, & hic est germanus sensus Diui Thomæ, prout ab acutissimo Caietano enucleatur, quem si bene contemplatus fueris, ut Cardinalis ait, obiectiones aliorum deridebis, qui sensus consonat explanationi Patris Rubij in Logica, ubi sic ait, explicans Diuum Thomam ad primum testimonium Diui Thomæ respondetur, sensum eius ex alio loco colligi, nempe ex quaest. 17. de potentia, art. 6. ubi docet distinctionem rationis, quæ reperitur inter diuinā attributa ut inter iustitiam, & misericordiam, aut inter ideās diuerso modo reperiri in intellectu diuino & nostro, quia in illo reperitur tanquam in radice, & quasi virtualiter, in nostro vero formaliter, quod hoc modo explicandam est. Idea non est aliud, quam essentia diuina, prout participari potest à creaturis, & cum plures creaturæ sint distinctæ secundum essentiam, distinguimus in ea plures ideæ, ita ut ea ratione qua potest participari ab homine sit idea hominis, & non leonis, & ut participari potest à leone, sit idea leonis, & non hominis, & sic de cæteris, quamvis autem diuinus intellectus intelligat essentiam diuinā, ut imitabilem ab omnibus creaturis vnico, ac simplicissimo conceptu, & ideo non distinguat in ea plures ideæ per illum tamen vnicum conceptum intelligit, quod à nostro intellectu imperfecto modo eam concipiente hoc est per plures, ac distinctos conceptus distinguatur in plures ideæ hominis, leonis, & aliarum rerum; nam vnico conceptu intelligimus essentiam diuinā, ut participari potest ab homine, & per alium conceptum distinctum, ut participari potest à leone, & hoc est distinguere in essentia diuina plures ideæ distinctione rationis, & ideo efficere entia rationis intelligendo diuinas ideæ.

Ex quibus intelligitur differentia inter diuinum intellectum, & nostrum, quod ille non distinguit ideæ in essentia diuina distinctione actuali, aut formali, sed fundamentaliter, aut virtualiter, in quantum cognoscit distinguere posse à nostro. Noster vero intellectus actualement distinctionem rationis inter ideæ facit, & quia omnis nostra intellectio causatur, & regulatur per Diuinam, docuit Diuus Thomas intellectum diuinum causare distinctionem idearum, non efficiendo eam actualiter, sed solum virtualiter, in quantum intelligit essentiam diuinā, ut intelligi potest à nostro intellectu per plures conceptus, & ideo distinguere possunt à nobis plures ideæ, quam distinctionem à nobis factam, causat quasi intellectus diuinus, per suam intellectiōem, ut supra diximus, quia ansam præbet, & fundamentum illius distinctionis. Hæc sunt sufficientes explanationes, quæ si non tibi placuerint, fatere Diuum Thomam contrariam sententiam hic asseruisse, licet alibi nostræ fauerit clauissime; vnde à Diuo Thoma, ad Diuum Thomam confugimus in alijs locis.

Ad illud ex responsione ad quartum, dicimus non esse in creaturis fundamentum ad illas distinctiones, sed in Deo, quia virtualis distinctio in Deo datur; vnde bene ibi ait Diuus Thomas respectus multi &c. non esse in rebus creatis: sed

x in

in Deo fundamentaliter nimirum, & sic confirmant hunc sensum verba illa; non tamen sunt reales respectus sicut illi, quibus distinguuntur persone; sed respectus intellecti à Deo primo, quia illi respectus sunt constituentes personas, aut principium productivum, isti autem non; illi sunt respectus formales reales, isti sunt virtualiter, & fundamentaliter, non autem formaliter, in Deo; unde ex verbis Doctoris confirmatur, ac roboratur nostra explicatio.

74 Ad secundum ex ratione desumptum sic respondeo primo concedendo maiorem; & distinguendo minorem; est ordinatio, id est relatio, nego, decretum decernens humanitatem Christi videntem esse Verbo diuino concedo: ex quo decreto denominatur predestinatus hic homo: non quod decretum illud ordinauerit hunc hominem ad essendum filius naturalis: sed quod ex eo decreto terminato ad humanitatem tanquam ad partem destinatus denominetur totus homo destinatus, verbi gratia: ex eo quod intellectus sit in sola anima, dicimus hominem esse intellectivum, non quod intellectus sit in toto homine: sed essendo in parte denominat totum, & peccatum essendo in voluntate denominat totum suppositum, & albedo quæ est in corpore denominat album totum hominem, & visio subiecta in materia prima non denominat materiam primam videntem sed hominem, ita vt vnâ denominationem recipiat subiectum in quo est visio, scilicet materia habens visionem, & aliam recipit totus homo, & ideo dicitur vident, eodem modo humanitas est ordinata, id est, decreta vt vniatur ad Verbum, & totus homo est predestinatus, nam denominatio debet applicari secundum proportionem subiectorum, ideoque dixi supra est ordinatio, id est, relatio nego, nam hoc vocabulum ordinatio dupliciter sumitur, vel pro relatione vel pro decreto; hic autem non sumitur pro relatione: sed pro decreto, nam predestinatio est actus, vel intellectus, vel voluntatis, & ambo sunt immanentes vitales, perfectionesque intrinsecæ Dei, quæ minime in relatione possunt consistere, quia vel relatio est rationis, vel realis; si realis nullo modo datur talis relatio in voluntate, vel intellectu, præcipue quia ideo non dantur, nisi quatuor relationes producentis, & producti ad intra; si rationis non potest esse predestinatio, quia relatio rationis est ens fictum, & non est perfectio diuina, actus autem voluntatis, & intellectus est vita Dei, & sic est perfectio; vnde predestinatio minime est relatio, nec proprie est ordinatio actiua, id est, faciendens ordinatum, & sic falsum est dicere dum Beatus Petrus est predestinatus ad beatitudinem, proprie esse ordinatum, id est, relatum ad beatitudinem, quia Diuum Petrum non reddit relatum, producens relationem in illo media predestinatione sua, Deus enim lato modo dicitur ordinatus, id est, destinatus, decretus, & amatus ad beatitudinem, & ratio manifesta est, quia prædestinatio est actus immanens: sed actus immanens non producit ad extra in creatura; ergo non producit ordinationem solum realiter denominans extrinsecè destinatum electum, si sit actus intellectus, vel amatus ad beatitudinem si sit voluntatis; sic similiter ex eo quod Deus prædestinauit hunc hominem nihil aliud fecit, nisi eligere ab æterno, vel destinare, seu definire, vel amare hanc humanitatem Christi, vt in tempore

vinatur hypostatice, ex quo decreto, electione,
definitione &c. solum refulsit denominatio
extincta in humanitate amata, scilicet ad talem
vniōem, & in Christo p̄destinari ad hoc vt vni-
ne hypostatica, & substantia Verbi constitu-
tur in esse filij Dei naturalis, ita vt respectu hu-
manitatis sit terminus ad quem vniō hypostatica,
& Verbum, & sic talis vniōem significatur illa
particula, scilicet propositio, ad, dum dicimus
humanitas destinata est ab eterno & p̄destina-
ta ad huiusmodi vniōem hypostatice, Chris-
tus autem est p̄destinatus, id est decretum est
vt ex hac humanitate, & vniōe hypostatica, &
Verbo hic homo constituatur filius Dei naturalis;
verbo propriè non dicimus, hic homo est p̄-
destinatus ad esse filij Dei naturalis, quia illa
particula, ad, denotat distinctionem, que hic
non datur; vnde Paulus nunquam illa vti-
tur, dum de p̄destinatione Christi loquitur, vt ex
his verbis Apostoli ad Romanos 1. Paulus seruus
Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in
Euangelium Dei, quod ante promiserat per Pro-
phetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui
factus est ei ex semine David secundum carnem,
qui p̄destinatus est filius Dei in virtute secundum
spiritum sanctificationis eius resurrectione
mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

Et ecce verba Pauli, vbi non dicitur Iesus Christus prædestinatus ad esse filij Dei: sed prædestinatus filius Dei naturalis; id est definitum est ab æterno, vt humanitas Christi vnatur ad Verbum, & ex hac vnione refulet Christus, qui homo Deus sit filius naturalis Dei, ita vt non sit illa filiationi terminus in decreto illo, seu intentione huius hominis, vt præsuppositi, & vt distineti, sicut est respectu humanitatis, sed potius illa filiationi sit constitutivum illius hominis in esse filij Dei naturalis, quo solum manet argumentum, primo negando esse propriè ordinationem, nec positivè ita vt sit relatio, nec actio ita vt sit productio ex quasi causa relationis. Secundò licet esset ordinatio, non esset ordinatio huius hominis: sed humanitatis ad vniorem, & Verbum, cum autem humanitas distingatnr realiter ab illis, inde est quod ordinatio non esset rationis ex vi illius medij, & licet idem esset in prædestinatione, esse prædestinationem, & esse ordinationem, nihilominus vna denominatio potest applicari vni, quæ non potest alteri, & contra, v. g. si diuinitas sit idem quod Deus, nihilominus denominatio, quæ attribuitur Deo non potest attribui diuinitati dicendo Deus creat: ergo diuinitas creat; item in creatis omnes partes limul sumptæ, & vnitæ sunt Petrus: sed Petrus generatur, Petrus est filius: ergo omnes partes generantur, item definitio hominis est homo, homo generatur: ergo definitio generatur, lūm falsæ; sic similiter ordinatio, & prædestinatio sunt idem, hic homo prædestinatur filius Dei naturalis: ergo hic homo ordinatur ad esse filij Dei naturalis. male arguitur, vt diximus, & ratio à priori est, quia variz denominationes non tribuntur à parte rei, sed provi idem secundum varias formalitates concipitur, & ideo vna denominatio tribuitur alicui, & alia non potest tribui, licet à parte rei idem sonant, & significant.

Respondeo secundo explicando locum Divi Pauli, vt. explicat Divus Egidius *lib. 1. de fide ad Reg. Augustinus in expositione inbeata epistola ad Roman.* quem sequitur Titelmanus in *eandem*

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 75

eandem Epistolam coll. 1. Et Caietanum ibidem, quam Pater Suarez tom. 1. 3. part. disputat. 50. asserit esse sane probabilem, itaque dum Paulus dicit Christum, vel filium Dei dici praedestinatum, non tamen absolute, & simpliciter est intelligendum hoc, ita ut sit filius Dei, sed ut esset in virtute secundum Spiritum sanctificationis, id est, ut ad nos descenderet cum potestate, & efficacitate ad sanctificandos homines ex resurrectione mortuorum, id est, moriendo, & resurgendo pro hominibus, quia mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram, vel secundum Spiritum sanctificationis, quem ex mortuis resurgendo ad nos misit, non enim fuit Spiritus datus, donec Iesu fuit glorificatus; vel denique quia praedestinatus est, ut nos sanctificaret sanctificatione perfecta & consummata, qualem habeant Sancti, quando in Christo ex mortuis resurgent, nam illud relativum qui praedestinatus est, aperte videtur referre ipsum filium Dei, de quo sermo praecesserat, quia sicut dicitur, qui factus est, ita dicitur, qui praedestinatus est: sed in priori parte refertur filius Dei: ergo in posteriori. Unde sicut in priori additur illa particula secundum carnem ad limitandum & explicandum terminum illius effectiois, ita in posteriori additur illa particula, secundum Spiritum sanctificationis, ad indicandum, & limitandum terminum illius praedestinationis, filius enim Dei cum sit aeternus, & per se beatus non potest simpliciter dici praedestinatus, ut supra etiam diximus, sed praedestinatus est ut assumeret humanitatem in qua virtutem, ac potestatem haberet sanctificandi homines: denique hoc maxime quadrat cum textu graeco, qui non habet relativum, qui; sed per adiectiva dicitur factio hoc modo secundum carnem praedestinato filio Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, solum enim ut optime adnotat Suarez contra hanc expositionem potest obici, quia propria & perfecta ratio praedestinationis refertur ad illud bonum, quod excellentius est in praedestinato, & ideo in puris creaturis praedestinatio dicitur in ordine ad beatitudinem, quia est hoc perfectissimum bonum eorum: verò respectu Christi Domini esse sanctificatorem hominum non est excellentius bonum eius, maius enim est esse filium Dei: ergo.

75 Sed haec obiectio non est magni momenti ait eximius Doctor, tum quia non est necesse Paulum loqui de perfectissimo termino praedestinationis, tum quia si ipse filius Dei est obiectum talis praedestinationis, ut dicta expositio supponit, non potest tam proprie dici praedestinatus, ut sit filius Dei, quam ut sit homo habens virtutem ad sanctificandum homines.

76 Tertio dico huius praedestinationis obiectum non esse Verbum diuinum, sed potius hominem hunc directè, & formaliter dicentem humanitatem, & indirectè suppositum diuinum, sicut quando dicimus hic homo Christus est servus Dei, & terminus est sanctificatio hominum per mortem &c, secundum quam potest salvari, & quod praedestinatio sit proprie ordinatio, ita ut in homine producat relatio, quae relatio non est rationis, sed realis qui est, & versatur inter Christum & sanctificationem hominum, quae sunt extrema realiter distincta, in qua solutione supponitur omnipotentiam produci ad extra esse voluntatem, vel intellectum, quae probabilis opinio est,

I. P. Tom. II.

vel praedestinationem esse conditionem sine qua non resultat talis relatio, ut ex eo quod producat Angelus in caelo resultat relatio similitudinis, vel dissimilitudinis in malis. Secunda autem suppositio supponit praedestinationem non esse proprie ordinationem, quia Verbum diuinum non est capax relationis ad creaturas, ut est sanctificatio: intellige quam volueris ex illis tribus, quibus euidenter solutum corruit argumentum.

SUBSECTIO VLTIMA.

Alia solutiones, & responsiones refutantur.

77 Iste autem Suarez, qui probabilem responsionem praedictam docuerat, probabiliter asserit responsum hoc, quod his verbis explicat tom. 1. 3. part. quaest. 24. art. 4. dist. 50. sect. 2. §. quo circa, verus, ac propius sensus huius locutionis est Christus, ut est, hic homo praedestinatus est, ut sit filius Dei naturalis, cuius praedestinationis obiectum est hic homo ut sic, in cuius proprio conceptu non includitur suppositum filij Dei; sed solum id, quod subsistit in hac humanitate ut sic, terminus autem huius praedestinationis est, esse filij Dei naturalis, quia suppositum filij Dei non includitur in obiecto praedicto, seu conceptu huius hominis praecipitur: igitur hic homo ut sic prius ratione, quam concipiatur esse filius Dei, & per diuinam praedestinationem ordinatur, & hic ordo rationis sufficit ad hanc praedestinationem; unde satis est, ut in ratione sua formali & conceptu veluti obiectiuo sit prius quia praedestinatus est actus mentis includens decretum diuinæ voluntatis. Et §. ex quo colligitur, ait, contra Caietanum, at praedestinatio est actus mentis, quae praescindere poterit ea, quae in re coniuncta per identitatem sunt; & praecise concipere hunc hominem, ut subsistentem in hac humanitate, abstrahendo ab hoc vel illo subsistente, & ordinare ut sit tale subsistens, scilicet filius Dei, & ideo illa propositio est in rigore vera, quia ex vi Verbi praedestinandi non si ponitur aliquod suppositum subsistens in hac humanitate praeter suppositum filij Dei, sic Suarez.

Haec expositio & verba Patris Suarez, tanti Doctoris venia, multa continent, quae confirmant argumentum aduersariorum, probans Deum facere ens rationis, nam primo asserit praedestinationem esse actum praescindentem rationem communem absque particularibus subsistentibus, & sic concipiendo hunc hominem sine hoc numero supposito ordinare illum, ut sit tale suppositum.

79 Contra quae sic argumentor, quia praedestinatio est actus intellectus diuini includendo decretum: sed praedestinatio praescindit ea, quae à parte rei sunt idem: ergo vel facit ens rationis talis actus, quia praescindendo vnum ab alio, ex his, quae sunt idem realiter diuidimus idem à se ipso, & distinguimus illa inter se, faciendoque distinctionem inter illa, verbi gratia quando intellectus noster cognoscit iustitiam sine misericordia in Deo diuidit, & distinguit, seu separat intentionaliter representando vnum sine alio, & faciendo distinctionem rationis: ergo si Deus praescindit ea quae à parte rei non sunt distincta, cognoscit vnum sine alio: ergo diuidit vnum

ab alio, & separat: ergo facit distinctionem inter illas, sed talis distinctio non est realis: ergo rationis; inter ea autem quae sunt idem à parte rei, non potest Deus facere distinctionem realem: ergo si facit distinctionem, facit distinctionem rationis; sed hæc est ratio: ergo facit illud.

Nec obstat dicere, quod ex eo modo præcindendi formaliter non oriatur distinctio rationis.

Contra, quia licet præcisio formaliter non sit fabricatio entis rationis, quod adhuc sub iudice lis est, & asseritur probabiliter à multis, nihilominus qui potest per intellectum præcindere ea, quae à parte rei sunt idem, cum illam rem concipiat per inadæquatos conceptus; ideo enim præcindit quia non adæquate concipit rem secundum omnem formalitatem, ut asserit ipse Suarez pluribus suae Doctrinae locis, ut in *Metaphysica tom. 1. quest. Vtrum præcindatur ens à perfectitate, & in alietate, & disp. de Deo. 2. tom. 1. part. tract. de a. tribus & tract. de Trinitate*; sed vno conceptu secundum unam rationem, & alio secundum aliam; sed qui sic concipit cum concipiat ita imperfecte potest facere ens rationis distincte; ideo enim homo facit distinctionem, quia præcindendo, quae à parte rei sunt idem per inadæquatos conceptus cognoscit &c. vnum sine alio; sed Deus præcindit, & abstrahit: ergo facere potest distinctionem rationis quae necessario sequitur ad præcisionem, præcipue cum à Patre Suarez 2. tom. dicatur nihil aliud esse præcisionem facere, & præcindere, nisi partiri, & diuidere intentionaliter, seu partitionem facere.

81 Sed partiri est separare, & distinguere, & distinguere est distinctionem facere; sicut ego, qui realiter diuido aquam separe, & distinguo, & separationem facio, & partitionem ubi non erat, & ego, qui diuido & partior attributa diuina, diuisionem, & distinctionem facio inter illa ut patet ex terminis: ergo si Deus præcindit partitur, diuidit, distinguit, distinctiones facit, diuisiones, & partitiones inter ea, quae idem sunt: ergo facit distinctionem rationis quia inter idem non potest realiter distinguere Deus. Deinde sic distincta ait Suarez ordinare, sed non potest ordinare & referre realiter, quia sunt idem realiter: ergo ordinat per rationem & ordinationem rationis, fabricatur ergo relationem rationis. Denique licet non faciat ens rationis, non potest dubitari quod imperfecte cognoscat qui præcindit, nam præcindere est per inadæquatos conceptus concipere, ut ait Suarez, cognoscendo conceptu confuso, & ideo, quia imperfecte nos concipimus, & per inadæquatos conceptus præcindimus in Deo iustitiam à misericordia, ut ipse Suarez ait, 1. part. tractatu de attributis, & Beatus, quia limitata cognitione cognoscit Deum, præcindit vnum gradum cognoscibilitatis ab alio, quia non penetrat, & comprehendit Deum, quia licet in opinione positum sit, an tunc faciat ens rationis, nihilominus non est dubium quin propter illam limitationem & modum cognoscendi imperfecte cognoscat; sed Deus præcindit sua prædestinatione in Christo Domino, quae sunt idem realiter id est hominem hunc ab hoc subsistente in hac humanitate: ergo imperfecte cognoscit Deus, quod est falsum: ergo falsa illa explicatio, ex qua hoc inconueniens sequitur.

82 Secundo dicit Suarez quod de ratione huius hominis non sit hoc suppositum, sed solum subsistens in hac humanitate ut sic, quia suppositum

filij Dei non includitur in obiecto prædicto, seu conceptu huius hominis præconcepitur; igitur hic homo ut sit prius ratione, quam concipiatur esse filius Dei, & per diuinam prædestinationem ordinatur, & hic ordo rationis sufficit ad prædestinationem, contra quod sic argumentor.

Deus ordinat per se sua prædestinatione, & iste ordo est rationis, ut ipse Suarez asserit: ergo Deus facit ordinem rationis sua prædestinatione, quia ordinare est ordinationem facere ut de se patet; item illa prædestinatione à Deo præconcepitur hic homo, ut sic prius ratione; quam concipiatur esse filius Dei: sed à parte rei, & in se non est ita prior: ergo Deus concipit inter illa prioritatem, & facit illam, quae non est à parte rei: ergo facit ens rationis prioritatis: ergo concipit res aliter ac est: ergo falso cognoscit, ablit hoc omne, ablit igitur fons horum inconuenientium, opinio, & explicatio nimirum Suarez, quae integra sic repellitur efficaciter. Deus comprehendit hunc Christum: ergo cognoscit illum ut est, & comprehendit euidentissime hunc numero hominem sua diuina prædestinatione: sed hic numero homo Christus est filius Dei naturalis, imo non potest non esse filius Dei naturalis, quia Christus ut Christus petit hanc humanitatem suppositam, tam per suppositum diuinum: ergo hic homo Christus in se, & à parte rei est hæc humanitas, & hoc suppositum diuinum, & hæc vnio: ergo comprehensio diuina statim ac comprehendit hunc hominem Christum euidentissime vidit totum hoc ut in se est; imo non potuit non videre illud, alias esset falsa, imperfecta, & ad minus non esset comprehensio; unde cum sit talis vidit clarissime usque ad vltimam formalitatem huius humanitatis, huius unionis, & huius suppositi diuini ut in se sunt: sed in se hic homo non est prior se ipso ut subsistente in hac humanitate, nec habet ordinem ad illud, nec est confusè ante illud: ergo non vidit ut priorem ordinationem, sed ut in se est: ergo non cognouit, nec prædestinatio terminata est ad illud obiectum, ut ait Suarez, imo contra Suarez in illo obiecto, ut obicitur diuinæ prædestinationi, quia est comprehensua, & clarissima & infinite perfecta cognitio, includitur non solum vage, & confusè subsistens sine aliqua determinatione in hac humanitate, sed potius necessario includitur hoc suppositum diuinum, & hæc vnio, & hæc humanitas, quia eo modo est obiectum, ut est à parte rei, sed à parte rei in hoc homine Christo, de quo loquimur includuntur: ergo illa in obiecto illius prædestinationis, item quia maxima imperfectio est in Deo confusè cognoscere obiectum ut ipse Suarez asserit tom. 1. in 3. partem, quest. 1. art. 4. disputat. 5. sect. 1. §. dico 2. Sed sua prædestinatione confusè cognoscit hunc hominem vage subsistentem in communi, in communi enim cognoscere res, est confusè cognoscere, & ideo ait Suarez loco citato hæc verba. Dico 2. in primo signo quo Deus voluit vnionem hypostaticam voluit illam determinatè in tali persona & in tali natura, & non in communem hypostaticam in ea abstractione, quoniam in incarnationem diuini Verbi, nam ille modus istae definitionis abstractæ & confusæ non potest conuenienter tribui diuinæ voluntati, nam imprimitis imperfectionem involuere videtur, quia talis modus

modus voluntatis supponit in intellectu confusam cognitionem rationum vniuersalium; ergo Suarez asserit iam esse cognoscere abstractè, & rem in communi, & vniuersaliter sine determinatione & cognoscere confusè: ergo si ipse auctor asserit prius cognoscere Deum hominem vage, & in communi subsistentem, & non determinatè, absque dubio ab ipso fatendum est Deum confusè cognoscere: ergo cum imperfectione.

Nec potest dici quod quia nostro modo concipimus hoc, ideo dicatur. Contra, quia in hac quaestione non quaeritur quomodo nos cognoscamus diuinam prædestinationem, sed quomodo Deus prædestinet, & cognoscat Deus: ergo si responderet Suarez dicendo cognoscere prius in communi, & confusè, non loquitur de modo nostro, sed ex parte Dei, aut dicendum erit, in aliud inconueniens incidere, hoc est respondisse non ad propositum, nam ego interrogo quomodo &c. quomodo Deus prædestinet, & cognoscat, ille respondet, me cognoscere vt confusam illam scientiam: ergo non respondet interrogatis: ergo si ad propositum responderet, tribuit confusam cognitionem ipsi Deo: ergo imperfectionem, vnde non potest saluari Suarez vel ab vno vel ab alio inconuenienti; vnde si ad propositum responderet, vt debemus colligere ex tanto Doctore, falso loquitur; nam aliud est nos concipere diuinam, & de illis loqui nostro modo in quo potest esse aliqua proprietas quæ non est in re concepta; aliud vero est obiectiue concipere in Deo, eique aliquid tribuere quod in re non sit, primum enim verum est, & non reddit falsam conceptionem nostram; secundum vero non potest esse sine falsitate, quia conceptio non est conformis rei conceptæ: quo sensu verum est illud commune axioma vnumquodque verè concipi sicut est, vt verè concipiatur: ergo quamvis non confusè concipiamus ea quæ sunt in Deo, tamen non possumus ei verè tribuere aut voluntatem, aut minus scientiam obiecti confusi, vt priorem etiam secundum nos, volitionem, & scientiam obiecti particularis, & distincti; vnde propterea non existimandum est Deum prius veritari circa vniuersalia, quam circa particularia, quia cum prius omnia distinctissimè intelligat non aut incipit velle cognoscere, etiam secundum rationem ab vniuersalibus, & confusis: sed omnino distinctè, & particulari vult, & cognoscit quidquid diuina voluntas vult, & cognoscit diuinam scientiam, & rationes vniuersales cognoscit, & vult in rationibus particularibus distinctè volendo, & cognoscendo particularia; hoc enim modus ad maiorem perfectionem spectat, tam in intellectu quam in voluntate, quod explicatur hoc clarissimo exemplo, non enim est intelligendum prius secundum rationem ordinasse Deum ad gloriam homines in communi, & postea hos in particulari, hic enim modus concipiendi diuinam voluntatem, & à fortiori diuinam scientiam, neque est verus, neque in re habet fundamentum: ergo similiter non habet fundamentum dicere prius ratione prædestinationem diuinam terminatam fuisse ad hunc hominem, non in hac determinata Verbi subsistentia subsistentem, sed vage, & confusè, & postea in hac determinata propter eandem rationem.

84 Ultimo assero me nescire, quomodo concipiantur hæc omnia verba Patris Suarez, & quomodo cohareant cum verbis ipsius in metaphy-

sica, vbi absolute negat Suarez Deum posse facere ens rationis, distinctionis, relationis &c. cum hic illa videatur concedere ipse viderit, me autem coherenter inter illa mei ingenij tarditate non videre fateor, libentissimè vellem ab aliquo in hac materia illuminari, dum male est Magister non sequor: sed insisto cæteris explanationibus, quam argumentum oppositum euidenter solutum, non scilicet vt nodum gordianum vobis trado, difficultatum enim nodos malim soluere, quam scindere licet Alexandri Magni gladio, & ense decorarer.

Ad tertium distinguo maiorem quam dare 85 existentiam id est denominationem extrinsecam per actum verum, purè speculativum cognoscen-tem ens rationis vt fictum nego; obiectivam, intrinsecam, fictam, apparentem per actum practicum concipientem ac si esset quod non est concedo, quod non facit villo modo Deus.

Concedo totam illam confirmationem, quia 86 non est contra nos, nos enim concedimus Deum dare esse obiectivum extrinsecum, quod in priori est existentia entis rationis, creatura enim propriè dat existentiam entis rationis fictam intrinsecam.

Ad contra, Respondetur non ideo fieri ens 87 rationis ab ente creato, quia ab eo recipit esse obiectivum extrinsecum per actum verum, & purè speculativum, vt Deus illi tribuit: sed quia recipit à creatura esse obiectivum intrinsecum, practicum, falsum & fictum concipienter aliter, ac sunt res, quod Deus non facit.

Ad secundum contra distinguo vt supra ma- 88 iorem, & nego minorem propriè loquendo, & vt quaeritur in quaestione, & nego consequentiam, & iterum nego illam minorem: sed vt sic &c. & illam consequentiam sequentem, & iterum nego vltimam consequentiam, vt patet ex dictis.

Ad tertium argumentum negatur maior quod 89 Deus cognoscat vt distincta attributa propria, nam certum est vt bene adnotat Pater Vazquez 1. part. disp. 118. cap. 5. Deum cognoscere attributa, quæ nos diuina, & pro nostro modulo distincta intelligimus: sed cum hæc omnia in Deo sint vna simplicissima entitas, & Deus intelligat seipsum sicut reipsum est, nec in sua cognitione alio modo sibi obicitur, & repræsentetur, sequitur hæc omnia attributa quæ nos facimus plura & reipsum vnum tantum est, & vnum simplicissimum à Deo cognosci, argumentum sanè rectè probaret illa omnia à Deo cognosci vt distincta si ex natura rei inter se distincta essent, vt asserit Scotus; at vero cum non distinguantur nisi per intellectum, hinc etiam fit Deum nullo modo posse per respectum ad intellectum, & voluntatem suam attributa distinguere, siquidem non minus sunt idem suapte natura intellectus, & voluntas, quam cætera attributa.

Ad probationem respondetur concedendo 90 maiorem, negando minorem: ad probationem minoris nego quod Deus cognoscat filium procedere per intellectum, non per voluntatem, vt sunt à parte rei, quia cum intellectus similiter, & voluntas sint eadem simplicissima voluntas, & entitas, & à Deo secundum proprium conceptum considerentur non possunt à Deo concipi vt separata, quia aliter conciperentur ac sunt, ideo non est concedendum Deum videre filium procedere per illum non per voluntatem, quia in

Deo intellectus, & voluntas sunt idem omnino, & ideo absolute illud negandum est ut iam diximus; at vero quia nos loquimur de Deo, & de his quæ sunt in Deo, secundum quod à creaturis concipiuntur à nobis, quomodo alia est ratio intellectus, & voluntatis, alia proinde sicut dicitur Deus intelligere per illum, & non per voluntatem, & sicut Deus dicitur velle per voluntatem, & non per intellectum, ita Spiritus sanctus dicitur procedere non per illum, sed per voluntatem; quod omne certum est provenire ex diversitate nostrorum conceptuum imperfectè, & inadæquate cognitionem divinitatem, & cognitionem divinam in ordine ad nostra, nam si intellectus & voluntas conciperentur, imò & cognitio divina ut est in Deo, & ut per illam concipiuntur intellectus, nimirum, & voluntas à Deo scilicet ut sunt in seipsis utique vno conceptu exprimerentur, neque aliquid vni tribueremus, quod negaremus alteri, nec diceremus Deum cognoscere Verbum produci per intellectum, & non per voluntatem: sed certè videremus, & iudicaretur filium produci per eandem simplicissimam formalitatem, & entitatem qua producit Spiritus sanctus, æquivalentem tamen pluribus, & distinctis, sicque cognosci à Deo, nam sicut Deus in sua entitate habet eminentiam quandam, ratione cuius datur communicatio ad intra respectu filij & Spiritus sancti sine distinctione intellectus, & voluntatis, sic etiam cognitio divina ut infinite perfectissima habet eminentiam infinitam, ratione cuius cognoscit eminentissimo modo produci per illum Verbum, & per voluntatem Spiritum sanctum sine aliqua distinctione ex parte intellectus, & voluntatis cognoscendo illam simplicitatem summam.

91 Alia solutio est, quæ solet tribui nimirum ad hoc ut dicatur Deum cognoscere filium produci per intellectum, & non per voluntatem non esse necessariam actualem distinctionem factam ab intellectu divino inter intellectum, & voluntatem: sed satis esse cognoscere distinctionem virtuale & eminentialem, æquivalentem distinctionis rebus repertam inter ipsum intellectum divinum, & voluntatem.



DISPUTATIO.

De Principiis Metaphysicis alphabetico ordine dispositis.

A



ACCIDENTIA magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est; hoc principium tradidit Aristoteles 1. de anima, cuius sensus, ut inquit D. Thomas est quod essentia in hac vita potius à posteriori, quam à priori quidditative cognoscantur, hoc est per proprietates, & operationes; omnis enim cognitio essentialium earum rerum, quæ simpliciter tales dicuntur, quæque substantiæ sunt, nobis potius abstractiva, quam intuitiva est, ac proinde non immediate in se, sed per aliud medium prius cognitum attingimus

obiecta substantialia; hoc autem medium, universalius, & facilius est ad hunc finem consequendum accidens, quia vel inheret intrinsece vel adheret substantiæ, & ab intrinsecis principijs eiusdem fluit, secundum sententiam Thomistij hoc pronuntiatur Aristotelis intelligitur de accidentibus per se, & proprie convenientibus substantiæ, & ratio est quia huiusmodi accidentia sunt proprium exercitium essentia, & non commune aliis distinctis ab ipsa ac proinde tanquam proprius effectus, & proprium signum ostendit nobis essentiam, à qua fluit, & quidditatem, à qua dimanat; unde hominis essentiam per ritum, discursum & intellectum optime cognoscimus; cognitio enim propria alicuius per id, quod proprium est illius, & non commune debet ignorare, quare essentiam hominis per albedinem non proprie, & perfecte cognoscimus; quia albedo est accidens commune multis distinctis ab homine essentialiter, & ideo ipse Philosophus ubi supra ad explicandum axioma hoc vltus est exemplo caloris summi, per quem ait melius cognosci ignem, quam per lucem; quia lux communis est yderibus & igni, imò secundum maiorem perfectionem convenit illis, quam huic; summus autem calor, & summe intensus est proprietas ignis, seu accidentis, quod ut proprium illius à nobis cognoscitur.

Etiam potest intelligi hoc axioma de accidentibus communibus, dum tamen ita combinantur, vel tot concurrant tali ordine, ac dispositione, ut æquivalent accidentibus propriis; unde optime cognosco Socratem per illa accidentia simul sumpta, & combinata, quæ licet quoad partem aliis conveniant, quoad talem collectionem tamen ordinem, & dispositionem alteri non conveniunt; ac proinde aliquomodo principia intrinseca substantialia illius nobis manifestant; v. g. talis facies, ea statura, huiusmodi color crinium, & alia id genus, quæ quotidie experimur.

Accidens definitur per subiectum, hoc secundum principium tradidit Aristoteles 7. Metaphys. & rationem tribuit Philosophus, quia ordo ad subiectum est de essentia accidentis; ideo enim Pater, ut Pater recte definitur per filium, quia de essentia Patris ut talis reduplicative est ordo, seu respectus ad filium, vel ad substantiam generitam, & sic dicimus, Pater est, qui genuit filium; nec mirum quia hoc non est proprium accidentis, sed etiam omnium etiam essentialium ad aliud; unde materiam primam optime definimus per formam, hoc est per respectum essentialem ad ipsam. Verum est quod cum duplex detur accidens aliud proprium, aliud commune, melius definitur accidens proprium per proprium subiectum, quam commune per commune subiectum, sicut perfectius definitur accidens per conaturalè subiectum, quam per subiectum, cui violentum est tale accidens; quapropter aptior definitio caloris est per ordinem ad ignem, quam ad aquam, cui violente convenit calor; nihilominus tamen sicut supra diximus, melius possumus definire accidentia per ordinem ad proprietates, si quas habet, & operationes proprias; quia huiusmodi operationes, tanquam proprium exercitium accidentis, utcumque nobis ostendunt essentiam illius, secundum viciniam differentiam eiusdem.

Accidens